TEMPLUM GRATITUDINIS,

Sive

DE VIRTUTE NON SOLUM SANCTISSIMA ET MAXIMA,

Sed etiam

MATRE VIRTUTUM OMNIUM RELIQVARUM

ORATIO

IN CELEBRATIONEM PRÆPRIMIS S.S. NOMINIS DIVINI,

Tum qvoq;

DEBITAM BENEFICIORUM AMO-RISQVE PATRIÆ, PARENTUM, PRÆCEPTORUM, MECOENATUM atq; AMICORUM CONJUNCTIORUM RECORDATIONEM

Publicè habita

In Alma Leucorea Ejusq; acroaterio Majori ipſa Palmarum Dominica, Prid. Kal. April.

Anno ab orbe gratuitò redempto, dudum qvô in votis id habet unicè:

AMpLas Vt Carpant grates DeVs Ipſe BonIqVe!

M. MELCHIOR WARNIKENIUS

Demm. Pom. S. S. Theol. Stud. P. L. C.

In Officina Finceliana exſcribebat Michael Meyer,

Anno cIↃ IↃc LXVII.

Ad Zoilaſtrum:

Noctes atq; dies patet atri janua Ditis:
Templaq; noſtra patent, candida qvæ Pietas
Exſtruxit: grates ſi vis qvoq; fundere, ſiſte;
Sin renuis? patet & janua Ditis: Eas!

DEO. TRINUNI. TER. OPT. MAX. CREATORI. REDEMPTORI. SANCTIFICATORI. ATQUE. CONSERVATORI. SUO. IN. SECULA, BENEDICTO.

Ut &

PATRONIS. EVERGETIS. MECOENATIBUS. ATQUE. AMICIS.

LIPSIENSIBUS.

ACADEMIÆ LIPSIENSI Inclytæ.

Max. Rev. Magnif. atq; Excellentiſſ. DN. JOH. ADAMO SCHERZERO, SS. Theol. D. & Profeſſ. Publ.

Excellentiſſ. Clariſſ. & Conſultiſſ. DN. JOH. SIGISMUNDI HASSII, J. U. D. & Scabini, piis Manibus.

Max. Rev. atq; Excellentiſſ. DN. Gottfried CHRISTIANO BOSIO, SS. Theol. Lic. & ad D. Nic. Eccleſiaſt. mihi â ſacris Confeſſ.

Plur.

Plur. Rev. DN. M. HENRICO MEJERO, ad Divi Nicolai Symmiſtæ.

Plur. Rev. DN. M. JOH. BENEDICTO CARPZOVIO, SS. Theol. Candidato & Phil. Moral. Profeſſ. Publ.

Plur. Rev. DN. M. ANDREÆ GLAUCHIO, Superintend. Bitterfeld.

Clariſſ. DN. M. CASPARO LöSCHERO, SS. Theol. Candidato.

Clariſſ. DN. M. PAULO MüLLERO, SS. Theol. Candidato.

Dominæ SUSANNÆ JÆGERDORFFIÆ, ejusq; famil. nomine hoſpitii.

SACRUM.

DEDI-

DEDICATIO.

QVemadmodum, ô Ter Sancte DEus, tota, qvam dilecto olim populo tuo promulgabas, lex deſiderabilis eſt ſuper aurum & lapidem pretioſum multum & dulcior ſuper mel & favum: ita & iſta, qvam de Sanctiſſimi Nominis Tui celebratione lapideis conſignare voluiſti tabulis, omni mihi ambroſia atq; nectare ſvavior, ac qvovis melle videtur dulcior: bonum qvippe eſt, confiteri Domino & pſallere Nomini Tuo, Altiſſime! Hæc ineffabilis qvoq; dulcedo ſervitui, Tuâ qvem tantis infinita Bonitas gratiarum hactenus irrigavit undis, penetravit animum, ipſumq; perpulit eò, ut de Incomprehenſibilis Nominis Tui cogitaret celebratione, ne, gratiarum ubi non foret recurſus, earundem qvoq; ulterior ceſſaret decurſus. Templum autem hoc Sanctiſſimo Tuo præprimis conſecrare Nomini debui; non, qvod in eam adductus ſim ſententiam, ac ſi hæ nullius hili chartulæ Tuarum infinitam laudum comprehendant Amplitudinem; ſed ideò potiſſimùm, qvod templa mortales DEO ſuo, vel putatitiis etiam Deaſtris ceu ſacra dicare ſoleant loca, in qvibus ea, qvæ ad Numinis conferre qvicqvam arbitrarentur cultum, perficerent & ſicuti omnium primum olim in Gentili Roma ipſi Jovi Pheretrio exſtruebatur templum: ita primitias

Pſal. 19. v. 11.
Ex. 20. v. 7.
Pſal. 92. v. 2.
Bernh. in Cap. Jejun. ſerm. 2. col. 92.
Aſconius Pædianus
Templũ qvidã dicunt qvaſi DEI amplum, vel Tectum amplũ Meiſn. Phil. ſobr. p. 2. Q. 13. s. c.
Dionyſ.

ſtudio-

ſtudiorum meorum Chriſtianorum publicas immenſæ Tuæ, ô ſumme DEus, laudum gloriæ conſecrare volui: Idq; eo in Monte, (cum montibus qvondam ſacra conſtituerentur ædificia) qvem ipſa Tua Impenetrabilis ante ſesqvi ſeculum ceu baſin reſtaurandæ Eccleſiæ ſuæ, deſignavit Miſericordia. Qvod ſi templum à tuendo ſuum fuerit ſortitum nomen, qvòd in omnium verſari debeat oculis, intuere qvoq;, ô Summum Numen, & clementisſimâ ſuſcipe mente Templum hoc, Amplisſimo Tuo qvod ſervus vilisſimus tuus præcipue deſtinat Nomini! Colluſtra atq; reple illud ex alto ſolo Divinæ gratiæ Tuæ lumine, ſicuti olim Pantheum illud Romanum, qvod nunc S. Mariam rotundam dicunt, in meditullio ſupernè per rotundam feneſtram unicam lumine ſolari replebatur affatim. Reſpice ad orationem ſervi tui & ad preces ejus, Domine DEus meus: audi hymnum & orationem, qvam ſervus tuus orat coram te, ut ſint oculi tui aperti ſuper templum hoc die & nocte, ut exaudias qvam ad te ſervus tuus orat orationem: complaceant eloqvia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu Tuo ſemper, Domine Auditor meus & Redemptor meus: Accipe tenuisſimas haſce gratiarum victimas, donec inter cœlicos tuos

Jer. 26. v. 18. Mich. 3. v. 12. — Varr. de ling. Lat. l. 6. §. 2. — Steph. Forcatulus l. 1. de Gallor. Imper. — 1. Reg. 8. v. 28. 29. — Pſ. 19. v. 15.

Pſ. 87. v. 7. Cantores in te diſcam cantare vicisſim,
Sicut in alternis carmina læta choris.
Pſ. 51. v. 21. Tunc Tibi gaudebunt pingves holocauſta per aras,
Et vitulos templis impoſuiſſe Tuis!

Vos qvoq; Charisſimi Sanctisſimaq; mihi ætatem Deveneratione Proſeqvendi Parentes, Doctores,

Præ-

Præceptores, Mecænates atq; Amici, templorum hæc ſerenâ fronte recipite ſacra. Qvamvis haud ſim ignarus, templa propriè eſſe ædificia; DEO ſacrata; negari verò ſicuti non poteſt, vocem, DEI, eſſe πολύσημον *multosq; (ſano tamen & Chriſtiano ſenſu) dari Deos, ita, ut inter alia qvoq; Graviſſimum hocce Nomen in Sacris tribuatur rebus illuſtribus, magnis & præſtantibus v. g. magnis montibus, Pſ. 36. v. 7. Duci Tyrio, Ez. 28. v. 2. Terræ, vel horto cultiori, ib. v. 13. Cedris procerioribus, Pſ. 8. v. 11. &c. ſicut & in profanis Oratorum Princeps dicit: Eqvidem te in dicendo ſemper putavi DEum. Sic qvoq; Geta Comicus Phormionem alloqvitur: Svavia qvi præbet & chara, non tu hunc habeas planè præſentem DEum? Sic Pamphilus ſuam exclamaturus felicitatem, DEum ſe vocitare hauddubitat: Ita Templi qvoq; vox non ſignificatu ſemper uſurpatur eodem, & præterea qvod aliàs pro cœlo nonnunqvam adhibeatur, uti apud Lucret. Sic & Ennius inqvit: Templum magnum Jovis Altitonantis: ita qvoq; de aliis dicitur rebus, ut de ſepulchro adhibet Maro:*

Eraſm. Adag. p. 632. A.
Feſtus de verbor. ſignif. lit. T.
1. Cor. 8. v. 5.
Cic. de Orat. l. 1.
Ter. Phorm. A. 2. ſc. 1. v. 31.
Id. Hec. A. 5. ſc. 4. v. 3.
l. 2. v. 1037. l. 5. v. 1203. 1204. & Varr. de lingv. lat. l. 6. §. 2.

Præterea fuit in tectis de marmore Templum
Conjugis antiqvi, miro qvod honore colebat,
Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.

l. 4. Æn. & Non. Marcell. c. 6. de impropriis.

Tum pro qvovis edito loco, qvem intueri & contemplari licet, ponit Lucret. Sic dicitur etiam Templum mundi: Templum mentis: Templum lingvæ. Templa turbulenta, pro aqvis accipit comicus. Sic qvoq;: Templa Neptuni pro mari accipit idem in Rudente.

Taubmann. ad Plaut. in Milit. Glor. A. 2. ſc. 5.
Plaut. ib. v. 3.
Id. in Rudent. A. 4. ſc. 2. v. 4.

[Ariſtoph. in horis.] *Templum itaq; Vobis ſiſto, non Exſecrationis qvidem, qvale erat Athenis; ſed Gratitudinis, in qvo Veſtra poſt DEum Clariſſima ad æternam animorum veſtrorum erga me recordationem ſuſpendere Nomina debui, eò, qvod chariſſimæ antiqvitùs* [De Bell. Gall. l. 3.] *in templis res aſſervari atq; deponi aſſolebant, præſertim in rebus dubiis, hinc Cæſar: Epheſi* [Vid & Brodæi miſcell. l. 4. c. 17] *à fano Dianæ depoſitas antiqvitus pecunias Scipio tolli jubebat. Id qvod me admonuiſſe poterat* [Pier. hierogl. l. 42. de gladio.] *illud juſtitiæ hieroglyphicum, gladius, qvem templi* [Juſtin. Hiſtor. l. 43.] *loco veteres nudum humi figebant Alani, qvem circumeuntes Martem, Regionum Præſulem, verecundiùs colebant: qvod æqvitati nempe & juſtitiæ* [Herodot. l. 4. & Petrus Sardus in corona imperiali, pt. 1. l. 5.] *ſit conſonum, gratiarum pro beneficiis ſtatuere monumentum; & licet vilius longè illud ſit, qvàm qvod Scytharum olim barbara Marti ſuo exſtruebat natio ex mero cremo & futilibus ſarmentis; ac neqvaqvam eum præſeferat ſplendorem, qvo* [Chaſſanæus Catal. Glor. mundi. p. 576.] *Sophiæ illud templum, à Conſtantino M. Conſtantinopoli conſtructum, poſt Salomoneum maximè conſpicuum, præeminebat: nec Dianæ Epheſinæ* [Panciroll. in deperditis p. m. 184.] *ædis, centum & viginti ſeptem columnis condecoratæ, conſeqvatur gloriam: nec etiam Ammonii Jovis templo, qvod centum aris à Jarba, Getulo-* [Virg. l. 4. Æneid. v. 204.] *rum Rege, magnificentiſſimè erat exornatum, præripiat palmam: ex ſimplici tamen ſtabiliq; ſtru-* [Herodot. Euterpe.] *cturam hanc profectam eſſe pectore, nulli velim dubitetis, haud aliter, qvàm Dianæ in Ægypto templum ex eodem & ſimplici fabrefactum erat ſaxo.* [Thyſ. in Roma illuſtrat. p. m. 450.] *Templum eſt Pietatis, (qvale & olim Romæ fuiſſe, conſtat) & ab omni malo alieniſſimum dolo, parem in modum atq; Anicienſe olim in Averinâ, qvod*

haud

haud intrabant ulla venefica animalia, nec muſcæ; & ſi aliunde inferebantur, moriebantur. Ita enim riatur qvoq; qvod in alium, qvàm à nobis jam fuit dictum, virulenta Theonis lingva intulerit ſenſum. Compari proinde animi puritate reciprocam hanc noſtram, Evergetæ Maximi, excipite opellam & auro veſtri candoris tenuiſſimam hancce à ruinâ præſervatæ ædiculam, ſicuti Pantheum Romanum Agrippa tegebat ære, æs verò auro, qvod ad hæc usq; tempora mille ſexcentos amplius annos, æs qvidem à rubigine, qvod illud exedi & corrumpi à cæli injuriâ atq; imbres admittere non poſſit; templum verò ipſum à ruinâ conſervavit. Munite atq; circumdate Templum hocce noſtrum ulteriori amoris & benevolentiæ Veſtræ Ampliſſimæ Deſideratiſſimæq; continuatione ad inſtar Clariſſimi Hippocratis Athenienſis, Apollinis in Delo templum foſſâ pariter & vallo ita communientis, ut ipſius ferè molis altitudo iſtius excederet tecta templi & vix qvicqvam conſpici de ipſo poſſet. Nec hoc ullam vobis pariat nauſeam, humili qvod omnia perſecuti ſimus ſtylo: nam

Baptiſta Fulgoſus. lib. de dictis & fact. memorab. cap. de gemmis.

Bodin. l. 6. de rep. c. 3.

Thucyd. l. 4.

Virg. l. 5. Æn. v. 153.

Littus amo & lævas ſtringo ſine palmula cautes:
Altum alii teneant:

Erat qvoq; Ampliſſimum Dianæ templum paluſtri atq; ita humili admodum collocatum loco, idq; non ſine prævio conſilio, ne videlicet à terræ concuteretur motibus. Mentem tantummodo reſpicite, ſicuti eſt in illo vulgato Naſonis:

Plin. l. 36. c. 14.

Ovid. ad Ruffin.

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Senec. Ep. 81.

Voluntas autem hæc noſtra fuit: Omnia eſſe fa-

cienda, ut qvàm gratisſimi eſſemus, cùm amoris & amicitiæ pars ſit haudqvaqvam minima, referre gratias. Qvod ſi hæc ſiniſteriorem jam verterentur in partem, eſſet, qvod ſapientisſimus dudum præmonuit Seneca, ut gratus videretur ingratus, qvem malè interpres in contrarium traduceret opinio. Sed mitto hanc, intempeſtivam fortè, ſollicitudinem, cum gratum eadem non deceat animum, ſed contra ſumma fiducia ſui & ex conſcientia vi amoris dimiſſa omnis anxietas. De cætero benè valete ac cœptam amoris benevolentiæq; erga me telam benignè feliciterq; pertexite. Qvod fiat in DEO! Scribebam VVitteberga ipſa Palmarum Dominica Anno Salutis 1667.

De benef. l. 4. c. 21.

Ib. l. 6. c. 42.

Veſtrûm omnium

debita humilitate

atq; obſervantiâ

devinctisſimus

Melchior VVarnikenius.

RECTOR
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,
JOHANNES MEISNERUS,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ., Fac. Theol. Senior, Templi ad Arcem Præpoſitus, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor,

CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.

SI qvod, poſt mutui amoris ſanctitatem, vinculum, amicos concinnandi ſibi ac devinciendi, ſupereſt mortalibus, non inter ultima profectò poni gratitudo debet. Hanc rerum ipſa mater, natura, adeò religiosè commendavit homini Virtutem, ut bruta qvoq; animantia aut in exemplum, aut incitamentum etiam divino animali ſtiterit. Canum ea alioqvin indoles, in ſuum qvidem genus invida & mordax, ſic grata nihilominùs in heros ſuos atqve conſtans eſt, ut vitam prius, qvàm fidem gratitudinemq; amittere pro commodis eorum malint ſæpiùs. *Pyrrhus* ſanè Rex canem, per triduum ipſum interfecti domini cadaver cuſtodientem & famelicum invenit, qvi poſtea in exercitûs luſtratione auctorem cædis mordicus apprehenderat, ut ideò ſubjectus qvæſtioni homicida facinus confiteretur, *Plutarcho* referente. Plura iſtiusmodi poſt Plinium aliosqve, ingeniorum princeps, *Scaliger*, in ſubtilium meditationum

tionum opere collegit. Leonum extrema etiam feritas non ſic beneficiorum immemor putatur, qvin humanitatis velut ſenſu mitigata, gratitudinis cultricem ſe cum admiratione præſtet. *Appion* Grammaticorum veterum doctisſimus autor, &, ut traditur, ἀυτόπτης, memorat, *Androdum*, hominem ſervum ad lanienam Romæ beſtiis expoſitum, cum in illum fortè leonem, qvem olim ſaucium curaverat in ſylvà, incidiſſet, gratiam medicinæ ac beneficii tuliſſe: adeò, ut tenui deinceps loro revinctam belluam, in morem agni, amicam ſcilicet & adulantem homini, per omnem urbis vicum duceret. Nec qvicqvam de ciconiarum, ab *Æliano* deprædicatâ pietate gratitudineq; diximus. Eamus nunc, & vel à brutis homines exempla Virtutis nobilisſimæ petamus. Hæc enim verò eſt, qvæ Numen ipſum ad ulteriora beneficia invitat. Hæc & publicas & privatas perpetuo duraturoq; nexu ligat amicitias. Qvod omne ita decenter & perſpicuè, conſcriptâ nuper de natura *Gratitudinis* Oratione docebit poſtmodùm, finitis ritè ſacris pomeridianis, in Acroaterio majore Ornatisſimus juvenis, MELCHIOR WARNIKENIUS, *Demmino-Pomeranus*, ut prolixis eſſe ampliùs haud Nobis liceat. Ad cujus acroaſin, CIVES ACADEMICI, confluere vos & admonitiones noſtræ jubent, & optimi concivis pietas meretur.

P. P. Dominicâ PALMARUM
anno recuperatæ gratiæ
clↄ. Iↄc. LXVII.

Qvàm

QVàm turpiſſimum, qvàm nefandum qvàmqve ab omni humanitate alieniſſimum crimen ſit *ingratitudo*, RECTOR MAGNIFICE, VIRI Max. Reverendi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimi, Patres hujus Academiæ Conſcripti, Domini Præceptores, Patroni ac Promotores devotiſſimo obſeqviorum cultu Devenerandi! Tuqve Nobiliſſima Lectiſſimaqve Studioſorum Concio, id ſatis abundeqve qvotidiana edocet experientia. Nam licet qvidem ingratus ſit iſte, beneficium qvi ſe accepiſſe negat, qvod accepit nihilominùs: ingratus, qvi diſſimulat: ingratus, qvi non reddit; ingratiſſimus tamen omnium eſt, qvi oblitus eſt: illi enim ſi non ſolvunt, debent tamen & exſtat apud illos veſtigium certè meritorum, intra malam conſcientiam concluſorum & aliqvando ad referendam gratiam converti aliqvâ poſſunt causâ, ſi pudor illos admonuerit, ſi ſubita honeſtæ rei cupiditas, (qvalis ſolet ad tempus in malis etiam exſurgere pectoribus) ſi facilis invitaverit occaſio; hic verò nunqvam fieri gratus poteſt, cui totum eſt elapſum beneficium. Et qvis adeò eſſet ingratus, qvi, qvod in primâ animi poſitum debuit eſſe parte & ſemper occurrere, ita ſepoſuit atq; abjecit, ut in ignorantiam verteretur. Apparet, hominem iſtiusmodi non ſæpe de reddendo cogitaſſe, cui tam alta obrepſit oblivio. Imò leviſſimus iſte eſt animus, in qvo unà cum ſacietate

memoria qvoq; moritur beneficiorum. Haud verò ſolùm, qvod toleratu qvidem foret facilius, abjectioris ſortis ſordidisſimum hocce crimen ſibi mancipavit homines, ſed & eos, qvorum excelſiori aliàs atq; illuſtriori fama ſita eſt loco, turpisſimo ſuo ſubdidit jugo. Convertite mecum, Auditores, oculorum aciem incommunem iſtam totius orbis Officinam, (ut Romam Scaliger appellat) qvomodo illa Auctorem ipſum ſuum, à qvo in Amplisſimo dignitatis erat collocata gradu, in curia tot vulneribus contrucidaverit, vitam ipſi qvoq; eripuerit, æternum tamen qvi Romano ſpiritum ingeneraverat imperio. Qvomodo eâdem qvoq; in Urbe illud virium Romanarum & incrementum lætisſimum & Tutela certisſima, Furius nempe Camillus, ſuam tueri valuerit incolumitatem: cujus ipſe maximo ſuo cum periculo ſtabilierat ſalutem, protulerat imperium cumulaveratq; ſplendorem, inſuper etiam adauxerat felicitatem, qvippe qvi duris, & ut ita liceat dicere, ferreis in exilium ablegabatur ſententiis idq; eadem, qvod atrocitati non parum afferebat incrementi, qvo, optimo juvene, filio, ſpoliatus, ſolatiis magis allevandus, qvàm cladibus onerandus fuiſſet, tempore: ibi tunc, immemor maximorum Tanti Viri meritorum, exeqviis filii Parentis qvoq; jungebat damnationem Patria. Ita ſcilicet in contrarium itur, ut qvosdam habeamus infeſtisſimos, non poſt beneficia tantùm, ſed propter ipſa etiam beneficia. Ita nullum tam plenum eſt beneficium, qvod non vellicare malignitas posſit? Ita ad malos pervenire nihil poteſt, qvod proſit, imò nihil, qvod non noceat? Ita proclivius eſt injuriæ, qvàm beneficio vicem referre? Non minor qvoqve ingratitudinis erat nota, qvam Urbs eadem & tantoperè celebrata Scipioni Africano pro collatis ſibi exhibebat beneficiis: Iſte

namq;

namq; non confractam ſolùm & contuſam belli Punici armis Rempubl. ſed penè jam exſangvem atq; morientem Africæ reddiderat Dominam: cujus clariſſimam injuriis penſando operam cives, vici ipſum ignobilis ac deſertæ paludis fecerunt accolam. Qvam qvoq; indigniſſimi acerbitatem exilii tacitus haud ferebat ad inferos, verùm ſepulchro iſta curabat inſcribenda: INGRATA. PATRIA. NE. OSSA. QVIDEM. MEA. HABES. & ſic illi ſuos cineres negabat, qvam collabi antea non fuerat paſſus in cineres. Adeò nuſqvam magis ſumus ingrati magis invidi, magis moroſi ac nuſqvam minus candidi, qvàm in penſandis eorum, qvibus nulla unqvam ſatis digna referri gratia poteſt, laboribus. Ite nunc, Viri optimi, optimè aliorum de ſalute meriti, & hoc tam magnificum, tot tamq; diuturnis vigiliis, tot ſudoribus, tot incommodis redimitote præmium! Abdicate vos communibus, humana qvas ſecum interdum ferre vita ſolet, voluptatibus: rem negligite familiarem: ne parcite formæ, nec maturum reſpicite ſenium: vitæ ipſius contemnite detrimentum, ut multorum nempe in vos convertatis odium, plurium excitetis invidiam, plurimorumq; pro ſudorib⁹ ac pertinaciſſimis curis vobis deportetis ronchos! Haud Sol unqvam qvicqvā iſto mihi ſcelere vidiſſe videtur atrocius, qvàm id, qvod alter Lacedæmoniorum Tyrannorum, Leonidas, in optimum admittebat Collegam, Agidem: cujus tamen operâ, non minùs, qvàm pro ſuâ totis animi corporisq; viribus ſalute contendentis, iſtum cum Spartana in exilium ejeciſſet Civitas atqve eidem ſuffectus Rex, Ageſilaus, vitam exuli eripiendam cuperet, ſalvus conſervabatur atq; incolumis. Ipſe verò deinde, qvòd uno fortuna loco ſtare non conſvevit, in priſtinum dignitatis gradum reſtitutus, adeò acceptorum

 ſe ab

ſe ab Agide beneficiorum præſtabat immemorem, ut non prima modò de Agide, Regni honore exuendo, tulerit ſuffragia, verùm crudelem qvoqve in modum unà cum Matre in carceris ſqvalore ſtrangulari juſſerit eundem. O hominem injuſtisſimum! Scilicet non referre beneficiis gratiam & turpe eſſe, & apud omnes haberi, qvis non intelligit? Vitium igitur ingratitudo videtur maximum indignisſimumq;. Ingrato nil terra pejus creat homine: & mala dixeris cuncta, ingratum qvando hominem dixeris. Qvod ſi longius evagandi nobis in veſtibulo daretur ſpatium diſſerendiq; de iis copia, haud difficili poſſemus evincere negotio, impiisſimum iſtud ſacrumq; ſcelus etiam ab Infinito ipſo ſummeq; Bono DEO τῷ ἀγαθῷ καὶ παντἀγαθῷ diros & plusqvàm Theoninos in multis haud qváqvam abſtinere dentes, qvòd non magnitudine corporis æqvent elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: qvòd ſagacitate ipſos narium vincant canes, qvod acie luminum aqvilæ, ſpacio ætatis corvi, multa animalia nandi facilitate; ex adverſis & disſidentibus bonis hominem eſſe compoſitum, injuriam vocant & in Deum jaciunt qverelas, qvod non bona valetudo iſtis & vitiis inexpugnabilis data ſit, qvod non futuri ſcientia. Vix ſibi temperant, qvin eò usqve provehantur impudentiæ, ut ipſam etiam accuſent naturam. Cum itaqve ingratitudine malum turpius & deteſtandum magis nullum vel ſub ſole detur; contrà gratum eſſe, per ſe expetendum honeſtumqve ſit, ſtat ſententia, & Deo Trinuni Ter Optimo Maximoq; & Parentibus, Præceptoribus, Mecænatibus, Evergetis & qvorum grata erga me hactenus exſtiterunt beneficia, maximas in præſentiarum, qvantas animus capere ingeniiq; tenuitas proferre poteſt, in publicâ hâc & Spectatisſimâ Gravisſimorum Viro-

rum

rum panegyri, poſtqvam prius generatim de Gratitudine qvædam prælibavero, decantare gratias. Licet autem grave ſit homini modeſto, petere aliqvid magnum ab eis, qvos de ſe jam tum benè putat meritos; attamen qvia animi eſt ingenui, qvibus multum debeas, eisdem plurimum velle debere, à Vobis, VIRI MAXIMI, nec non commilitones Optimi, eâ, qvâ decet & par eſt, animi ſubmisſione, ut ulteriorem indulgentisſimi favoris Veſtri auram benignâ auſcultatione hiſce meis aſpirare velis meq; ad exoptatum hactenus deſideratumqve maximè promovere portum haud dedignemini, peto obſervanter atq; contendo.

Ut verò ab ovo, qvod dici ſolet, ordiamur, haud à ſcopo videtur alienum, anteqvam ad ipſam gratiarum deſcendamus actionem, paucis naturam & officium Gratitudinis attigiſſe. Qvorum de Virtutibus conſignandi leges induſtria inſumitur, ita Gratitudinem delineare ſolent: Qvod Virtus ea ſit Moralis, qvâ gratos nos ergâ benefactores exhibeamus, ſive qvod ſit Juſtitia, qvæ jucundam beneficiorum conſervet memoriam. Gratitudinem verò à grato derivari, qvis eſt, qvi dubitet? Qvàm ſvave pariter atq; amabile noſtræ huic Virtuti nomen indiderit illa omnium literarum Præclara Cuſtos & Altrix, Græcia, à qva & Philoſophiam & omnes ingenuas habemus Diſciplinas, notius eſt, qvàm ut à nobis referri debeat. Sed qvare elegantisſimum iſtud in medium non profero nomen? Ἐυχαριςίαν vocant, bonam ſcilicet gratiam: dicunt & Ἀντιπελαργίαν, qvod uno itidem vocabulo Redhoſtimenti Romanum haud incommodè profert idioma. Natam verò hanc eſſe vocem ἀπὸ τȣ̃ πελάργȣ, ciconiâ, extra omnem dubitationis conſtitutum eſt aleam. Aliam vix autem ſubeſſe denominationis hujus rationem

tionem,exiſtimationem, qvàm qvod avis iſta ſenio enervatos victus conqvirendi gratiâ evolare haud patiatur Parentes,ſed humeris ſuis impoſitos magnâ cum curâ in prata viridesq; deportet campos & qvacunq; poſſit ratione, enutriat eosdem,non legibus ullis, ſed ipſius naturæ qvadam bonitate,unde hôc ciconias elogio Doctisſimus Vir ornat:

Aërio inſignis pietate ciconia nido
Inveſtes pullos, pignora grata, fovet:
Taliaq; exſpectat ſibi munera mutua reddi,
Auxilio hôc qvoties Mater egebit anus:
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa Parentum
Corpora fert humeris præſtat & ore cibos.

Qvòdq; gratam eadem erga benefactores ſervet memoriam, idcircò pia Vatibus avis cluit & *pietaticultrix* nominatur. Sed miſſâ ciconiâ prolixioriq; ſimul vocis indagine,ad alia digrediamur. Communis nimirùm vitæ humanæ reqvirit uſus, ut gratia referatur benè meritis & munerantes vicem recipiant munerum: atq; omninò

Decet bonum, meminiſſe grato pectore,
Si qvid beneficii adeptus eſt â qvopiam:
Nam gratiam qvisqvis benefactori ſuam,
Studet probare, benè ad merendum hunc provocat.

Verisſimè pariter dictum eſt â Sapientibus: Grati animi voluntatem rem ex ſe eſſe bonam & expetendam, qvod humani ſocietatem generis conglutinet atq; connectat. Danti qvoq; cuipiam qvid referri gratius ab accipiente poſſet, qvàm ſi gratum, gratis qvod accepit, habuerit? Hoc idem etiam aureis hiſce Chryſoſtomus reqvirit verbis: Nos qvoq; nihil aliud, qvàm laudem & gratum animum

mum & accepti memorem beneficii reqvirimus; Sed tranſeant hæc omnia: id modò paucis, qvibus & agenda & referenda, & habenda ſit gratia, attentiori colluſtrabimus animo. Hic verò cùm primis vel ultrò ſeſe nobis offert ipſius naturæ, & eorum, qvæcunq; in illâ continentur omnium, Auctor, atq; idem qvoq; Conſervator, DEUS, cujus in hôc cultus conſtitutus eſt maximè, ut anima ei non ſit ingrata, nec melius qvicqvam vel animo gerere, vel ore promere, vel calamo exprimere valemus, qvàm: Deo ſtet laus & gratia! Hôc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi ſublimius, nec agi fructuoſius poteſt: nam ne totus qvidem mundus ad templum honoris Ejus ſuffecerit, ſed præſtat, Eum laudibus hymnisq; colere. Si aqvarum fluxus ſecretis & ſubterraneis curſibus inceſſanter æqvora repetunt, ut inde rurſus jugi ad uſus noſtros erumpant obſeqvio, cur non etiam ſacri canales gratiarum in illud, unde promanârunt, mare beneficiorum, iterum deriventur? In omnibus agere gratias pro omnibus jubemur Deo, non, qvaſi Summum Perfectisſimumq; Numen noſtrâ, extremis aliàs imbecillitatibus laborante, operâ indigeat, vel commodum qvoqve ſibi inde qværat ullum, ab hominibus talia depoſcens; Non ideò Deus à nobis exigit gratitudinem, qvod noſtrâ opus habeat celebratione; ſed qvicqvid eſt lucri, iterum ad nos ut redeat & dignos nos majoribus reddat beneficiis. Nec aliter ſacrum hoc ſeſe habet negotium, qvàm in pereleganti naturæ luſu, qvando Sol, ille mundi oculus, lucidos ſuos projicit in ſpeçulum radios, ubi per repercusſionem eorundem propè ſpeculum haud parum intenditur calor: ſic qvoq; gratioſisſima Divinorum lux beneficiorum in nos demiſſa deſuper ac ceu per gratia-

rum repercuſſionem ſurſum viciſſim, ſic uti decet, converſa, majorem longè intentioremq; Divinæ nobis benevolentiæ conciliat fervorem. Nulla proinde Dei dona debitâ fruſtrari gratiarum oportet actione: non grandia, non mediocria, non puſilla. Qvicqvid gratiæ, qvicqvid Virtutis homo poſſidet, Dei id omne Virtuti deputet Deiq; ſapientiæ. Qvo de ſacratiſſimo gratiarum, Domino fundendarum negotio haud intermittendo Maximus ille Dei Interpres ac Propheta, Moſes, Sacram commonet Abramidum Gentem, ut, ſi in benedicta iſta terrâ promiſſorum dudum beneficiorum Divinorum uberrimum jam perciperent fructum, debitas Eidem pro immensâ iſtâ gratias decantarent munificentiâ. Qvod ſi contentio qvædam & comparatio fiat, plurimum qvibus tribuendum ſit poſt Deum officii, Principes ſunt Patria atqve Parentes, qvorum vel maximè obligatiſumus beneficiis: Patria qvippe communis eſt omnium Parens. Qvantus gratæ mentis erga Patriam in ſanctiſſimo Patriarcha, Iſraële fuerit impetus, inde ſatis abundeq; conſtat, qvod, cùm nullis amplius illam juvare poſſet officiis & jam fatis conceſſurus, juramento ſibi confirmandum hoc curabat à Joſepho, filio, ut oſſa pro re natâ Patriæ, qvæ terra erat Canaan, reſtituéret. Ipſe qvoqve poſtmodum, tantus in Ægypto hactenus Dynaſta, Joſephus, animam exigua ſpe vitæ trahens, à ſuis idem expetebat fratribus. Et hoc non leve gratæ mentis erga Patriam eſſe documentum, pro teſte eſt Scipionis Africani, cujus ſupra jam dum injecimus mentionem, monumentum, ingratam vel oſſibus ſuis dedignantis Patriam. Fortiſſimosne an piiſſimos in Patriam dicam Cives Carthaginienſes, per Romanam jam obſidionem eò anguſtiarum redactos, ut,

evo-

evocatis ipſorum Principibus, ſi ſalvi eſſe vellent, finibus migrarent, imperaretur, pro atrocitate rei ad acerbiſſimas commotos iras, adeò qvidem, ut extrema potius, Patriæ qvàm excidium, ſuſtinenda eligerent. Complorabatur, his auditis, publicè: ad arma pari voce clamabatur: hoſtium, qvàm ſuis Patriam everti malebant manibus: & cùm antea, ſpe pacis à Romanis injectâ, claſſem hoſti cremandam tradidiſſent, nunc in uſum novæ tecta domusq; reſcindebant: in armorum officinis aurum argentumq, pro ære ferroq; conflabant: in tormentorum vincula ſuos matronæ crines conferebant. Tandem verò, cum nullâ urbem Romanæ eripere potentiæ poſſent ratione, domibus templisq; ſuis voluntarium ipſimet immittebant incendium, & clarisſima urbs, de terrarum orbis imperio Romæ per viginti atq; centum annos æmula, triumphus ardebat, Codrumne, extremum illum Atticorum Regem, nemini noſtrûm ignotum, referam? Cujus mortem æterna per hanc Virtutem gloria cujusq; pietatem illuſtrisſima Athenienſium conſecuta eſt victoria. Hic, cùm Lacedæmonii gravi admodum Atticos premerent bello & conſulentibus hoc Apollo dediſſet reſponſum: Qvorum ab hoſte Dux prior eſſe occiſus, eos poſtea bello fore ſuperiores: veſte Regiâ depoſitâ, paſtoralem induebat cultum hoſtilibusq; de induſtria immiſtus caſtris, imprudenter, rixam ciens, interimebatur, Hoc tam grati Viri ſplendidum qvis non admiretur facinus, qvi mortem iis artibus qvæſivit, qvibus ab ignavis vita qværi aſſolet? Non minor eſt gloria ab Asdrubale capti M. Attilii Reguli, Patriæ in gratiam multis iisq; exqviſitisſimis tormentis lentoq; fato perempti. Mario non tantum erga lectisſimam filiam, cui Calpur-

niæ nomen erat,natura,qvantum erga Patriam, ingeneraverat amorem, cujus ſaluti ſalutem filiæ poſtponere haud dubitabat, in ſomnio antea præmonitus: hanc ſi ſacrificaſſet, victoriam ſe à Gente Cymbricà, contra qvàm deſignata ipſi erat belligerandi provincia, ſplendidisſimam haud dubiè reportaturum. Clœliam, puellam,vel ipſis fortisſimis Viris Virtutis lumine præferendam, egregià hàc gratam ſe Patriæ exhibuiſſe audaciâ, qvod, cum inter cæteras virgines Regi Porſennæ obſes à Romanis eſſet data, nocturno tempore cuſtodiâ elapſa, eqvum conſcendens celerifluminis trajectu non obſidione ſolummodò,ſed metu qvoq; Patriam ſolveret,qvis eſt, qvi non intelligat? Qvid tibi, ó fortisſime Epaminonda, in votis erat aliud,qvàm Patriæ,cui ortum debebas, morte iſtâ tuà,morte honeſtisſima,morte tanto Heroë dignisſimâ gratias tribuere? cum tua latera hoſtile ſparum in celeberrimo apud Mantineam prælio penetraret, adeò qvidem,ut in terram ſemianimis proſterneréris, magnoqvè inter alia interrogares cum deſiderio circumſtantes: utram in partem ſeſe convertiſſet victoria? acceptoq; reſponſo: Thebanos tuos exſtitiſſe ſuperiores, evulſo, qvo transfixus eras,ſpiculo,charisſimæ de victoriâ impetratâ Patriæ unà cum animæ dimisſione gratulareris. Patria mea mihi vitâ multò eſt charior,verè Magnus olim de ſe prædicabat eloqventiæ Parens,Tullius. Alterum verò poſt Patriam locum iſti inaucupandâ gratiâ occupare videntur, qvi vitæ ſangvinisq; poſt Deum exſtiterunt Auctores,dulcisſimo Parentum qvos indigitamus nomine: his enim nulla poteſt referri gratia,qvæ non acceptis longisſimè beneficiis ſit inferior. Hoc qvisq; perſvaſum ſibi habeat penitus,omnia, qvæ posſidet, eorum eſſe, qvi genue-

nue-

nuerunt,ipſumq́; omnia, qvantum vel maximè fieri poteſt,iſtorum officiis impendere mutuâ qvadam promptitudine oportere. Parentes ipſius Dei ſunt imagines & domeſticorum beneficiorum Auctores,cognati,Creditores, Domini & Amici conſtantisſimi, ſimilitudinemq́; Dei nobis referunt melius, qvàm ullius Artis exprimere facultas posſit: cùm tanqvam Dii domûs,Patroni,nobisqve familiares ſint: beneficiorum item maximorum nobis Auctores & maxima qvæq́; præſtant. Creditores ſunt præterea rerum pretioſisſimarum, ex qvibus ea ſolùm repetunt,qvorum ipſa redditio nobis iterum beneficio eſt: Qvodnam enim tantum eſſet filio lucrum, qvantum in Parentes & pietas & gratitudo? Domini noſtri illi ſunt, & id jure qvidem optimo: cujusnam enim potius nos deberemus poſſesſioni ac dominio, qvàm illorum, per qvos ſumus? Amici deniq́; & Auxiliarii noſtri ſunt perpetui ſpontaneiq́ve, qvovis tempore & caſu promptisſimam ferentes opem. Qvos itaq́;, Auditores Honoratisſimi, aut à qvibus exiſtimatis majoribus affici beneficiis,qvàm ſuis à Parentibus liberos? Qvibus primò, ut ſint & vivant: deinde ut tot experiantur bona illorumq́; participes reddantur,qvæcunq́; Deus hominibus præbet, Parentes tribuerunt. Nemo proinde mortalium,ſi qvem erga Parentes deprehenderit ingratum, eundem pro ſusceptis in referendâ gratiâ beneficiis fore memorem, exiſtimabit. Prima itaq; Chriſtianorum pietas eſt,ut eos,qvi nos procreàrunt, condigno afficiamus honore laboresq́; eorum remunerare modis omnibus conemur: Etſi enim multa illius reddidiſſe videamur, nunqvam profectò parem Parentibus reddere gratiam poſſumus. Qvicqvid itaq́; his præſtiterint liberi, etiamſi illud magnum ſit, in-

ſra æſtimationem muneris eſt tamen. Elpinice, Nobiliſſima illa ob Virtutem Miltiadis filia eademq; Cimonis inſimul, germani fratris, ſicuti pro moribus id licebat Græcis, uxor, non adeò ſancta ipſius conjugii vincula, qvàm in defunctum jam Parentem pietatis officia arbitrabatur, Miltiadis progeniem invinculis turpiter interire neqvaqvam paſſa, cùm frater ſimul idemq; thori ſocius ob denati Parentis litem in iisdem cum eo publicis conclusus detineretur carceribus, in qvibus jam ſenex vitalia hæcce reliqverat lumina, Calliæ potiùs, tantam, qvanti lis iſta æſtimata eſſet, auri ſummam, Elpinices ſi conjugio per maritum potiri liceret, offerenti, promptiſſimo nubebat animo. Attici qvis gratam in Matrem obſervantiam digno ſatis efferre valet præconio? Qvi, cum illam nonaginta annorum extulit Matronam, ipſe ſeptem natus atqve ſexaginta, gloriatus fuiſſe perhibetur in iſto funere: Nunqvam ſe in gratiam cum Matre rediiſſe. Et ſignum hoc eſt, nullam inter eos unqvam interceſſiſſe qverimoniam. Hæc, hæc vera eſt erga Parentes gratitudo! Parentibus haud immeritò ſubjungendi videntur ii, qvorum in eo occupatur opera, ut à Parentibus progeniti novam velut vivere vitam, Virtutis doctrinarumq; beneficio conſveſcant; Præceptores videlicet intelligo: Etenim cum nullum in terris majus ſit beneficium, qvàm veritatis & rectæ doctrinæ communicatio, profectò nullis plus debemus, qvàm his, qvorum labore, fide ac liberalitate res tantæ tamq; in vità neceſſariæ nobis contingunt: Cui enim hoc non eſt obvium, vitam ſine literis, ſine religionis ſcientia, ſine antiqvitatis notitià, ſine aliqvà naturæ atqve honeſtorum officiorum cognitione non ſolùm incultam, ſed planè miſerrimam eſſe imò ipſa

pſa pecudum vita optabilior, qvàm hominum fuerit qvamlibet omnium rerum copia affluentium, cum illis ſi conjuncta erit tenebris. Judicari itaq; facilè poteſt, plurimum nos debere illis vitæ Ducibus, qvi nos in lucem ex obſcurisſima caligine educunt &, benè beateq; vivendi rationem monſtrantes, maximis erroribus animos noſtros liberant. Frugum inventoribus ſi divinos Vetuſtas decrevit honores, nonne, ſi rectè vera æſtimamus bona, melius multò de nobis merentur, qvi optimarum rerum doctrinam nobis patefaciunt ac tradunt? ſiqvidem, nihil minus ad tuendam vitam neceſſarias eſſe literas atqve Artes, qvàm fruges ipſas, confiteri tenemur omnes. Arbor, infrugifera ex ſe atq; ſterilis, inſitione non raro fructus ferre diſcit perelegantes: ita prava ſæpè puerorum ingenia ſedulâ Pædagogorum ad frugem reduci poſſunt informatione. Qvod ſi tanta jam præſtare valeant Iſti, qvis dignã pro ejusmodi rependere ipſis poterit gratiam? Qvod ſi nullum reip. majus afferri meliusqve poteſt officium, qvàm ſi moribus juventus literisq; erudiatur bonis, qvid iſtis deberi arbitramini, qvorum præcipuus in his exiſtit labor? Fieri proinde haud poteſt, ſi vim ac dignitatem literarum intelligimus, qvin pariter & Artes & Doctores Artium amemus, per qvos hæc cœleſtia munera divinitùs ad homines propagantur. Turpisſimum exinde & bonis omnibus ſummoperè exſecrandum erat ſcelus, qvod Vir, nulli eorum, ſuâ qvi ætate doctrinæ florebant gloriâ, ſecundus, Damaſcenus, à diſcipulo pro fidelisſima inſtitutione præmii loco referebat, qvod atrocius nos, qvàm ut in medium proferatur, exiſtimamus. An hæc eſt iſta gratia, qvæ debetur illis, ſuam qvi diſcipulis vitam impendunt, (propterea, qvod non ſine maximis

curis

curis ac laboribus aſſiduitas illa præſtari poteſt) qvi rei etiam familiaris negligunt procurationem, qvi perpetiuntur odia improborum, qvi literas, qvi religionis doctrinam, qvi cæteras Artes hoſtiliter oderunt: Illis, qvi tot difficultates, tot labores tantaq; pericula, ut poſſeſſionem literarum in ſcholis tueantur, ſuſcipiunt? Qvid eos, ut ea faciant omnia, aliud, qvàm vis qvædam amoris erga diſcentes & erga Remp. hortatur? Neceſſe eſt igitur, plus, qvàm ferreis animis præditos eſſe eos, qvi & beneficiis iſtis affecti ſummis & amore verè patrio invitati non redamant Præceptores. Juſtisſimum itaq; & humanisſimum eſt, ut diſcipuli dent operam ſedulò, qvò Præceptorum erga ſe benevolentiæ, meritis, laboribus, aſſiduitati ipſorum reſpondeat gratitudo. Scholas enim decet eſſe officinas, ut cæterarum Virtutum, ita maximè gratitudinis. Nullum verò vitium magis pugnat cum natura & ſocietate humani generis, qvàm ingratitudo. Non minus crudeles ſunt ingrati adverſus Magiſtros, qvàm qvi Parentibus ingrati ſunt, à qvibus, ſi rectè æſtimamus, vel majora accipimus beneficia, qvàm ab iis Parentibus. Fieri propterea non poteſt, cùm adeò ſancta à Deo conſtituta ſit Parentum obſervantia, qvin illi, qvi gratos ſuis ſe præbebunt Præceptoribus, gratitudine ſua id impetrent, ut Deus magis eorum fauturus ſtudiis, eaq; ad ſalutem tum ipſorum, tum totius Reip. ſit gubernaturus: ut enim ingratos haud dubiè puniet, ita gratos contrà amat ac tuetur.

Laudandus hoc loco Alexander, qvem Magni cognomento eventuum grandia inſignivêre, qvi, cùm interrogaretur aliqvando, majoremne iſti, qvi progenuiſſet, an, à qvo informatus fuiſſet, deberet gratiam? Reſpon-

diſſe

diſſe fertur: A Parente ſe qvidem vitam; ab Ariſtotele verò, qvô præ aliis Præceptore fuiſſet uſus, rectè vivendi conſecutum fuiſſe rationem. Qvam ipſam qvoqve Magni filii comparationem ipſe ſuis approbaſſe videtur literis Parens, Philippus, in qvibus ad Philoſophorum Principem ſic ſcripſerat: Filium mihi genitum ſcito, ob qvod eqvidem Diis gratias habeo, non proinde, qvod natus ſit, ſed naſci contigerit temporibus vitæ tuæ: ſpero enim, fore, ut, edoctus eruditusq; à te, dignus exiſtat & nobis & rerum noſtrarum ſuſceptione. Qvam opimam qvoq; ſpem uberrimè feliciſſimus rerum maximarum probavit affatim eventus. Eadem erant ferme, qvæ de ſuo Chryſippo toties prædicabat Carneades: ſe nempe, ſi iſte non fuiſſet, non fuiſſe. Nec qvicqvam adhuc dixi de gratâ Scipionis in Præceptorem, Ennium, mente; Nec Cæſaris in Ariſtonem, ſicuti promeruit, commendari ſatis poteſt pietas. Laudet pro nobis Vatum Grajorum Coryphæus Achillis magnificam iſtam ſanè erga Phœnicem vel in dimidiæ Regni partis oblatione munificentiam. Qvalem ſe Auguſtus pariter atqve Trajanus, Potentiſſimus uterq; Romani nominis Imperator: ille Athenodoro; Plutarcho autem exhibuerit iſte, longum nimis eſſet relatu. Gratianus eodem honoris faſtigio vel maximè conſpicuus, ſi non in aliis, hâc certè in re verè exſtitit Gratianus, Eruditiſſimum ſuum Auſonium Romanum ipſe deſignans Conſulem. Copioſiſſimus præter eos, hactenus qvorum fuit facta mentio, ſupereſt, numerus, qvibus ſuis pro meritis competentem referre tenemur gratiam, qvorum benevolum nempe in dandis beneficiis cognoverimus animum: iſti enim, qvi viſi ſunt cuiqvam digni, à qvibus acciperet, indigni eidem, qvibus

D debeat,

debeat, videbuntur. Ἐγὼ νομίζω, inqvit fulgentisſimum illud Rhetorices Sidus, τὸν μὲν εὖ παθόντα δεῖν μεμνῆσθαι τὸν πάντα χρόνον, & illud in officio eſt primum, ut plurimum eis, à qvibus plurimum diligimur tribuamus: nullumqve in referendâ gratiâ magis neceſſarium eſt officium. Annon agros imitari fertiles, qvi multò, qvàm acceperunt, plus afferunt, oportet? Qvod ſi qvadrupedes & omni penitus rationis uſu deſtitutæ beſtiæ hoc à natura ingeneratum habent bonum, ut adverſus iſtos, qvorum in ſe vel ullum perſenſerunt amorem, reciproco non rarò affectæ ſint amore: ſicuti de qvadrupedum Rege, Leone, naturæ aſſerunt Conſulti: Qvorum aliqvando qvidam Nobili cuidam Hiſpano inſignem retribuebat gratiam, adeò qvidem, ut gratus potius mori, qvàm ſuperare ingratus voluerit. Androcli apud Gellium ſervo (qvem minùs rectè Androdum vocari, notat Gyraldus) qvantum grati animi ſenſum exhibuerit alius, vulgatum illud teſtatur ſatis: Leo hoſpes homini: homo medicus Leoni. Idem qvoq; laudabilis in eqvo Antiochi deprehenditur affectus, recenſente naturæ iſto Bibliothecario, Plinio; qvi, cùm Centaretrium, Galatam, Domini ſui hoſtem, Antiochum in prælio qvi interemerat, ſe conſcendiſſe animadvertiſſet, dentibus apprehenſo freno, ita, ut nullâ amplius ratione compeſci habenis poſſet, ad eminens incitatisſimo curſu ſaxum contendebat deq; eo ſe ſimul atq; inſidentem in altum dejiciebat, & ita ſuâ morte mortem qvondam dilectisſimi Heri vindicabat. Ut jam non canes, non Pantheras, non Elephantos, non Aqvilas, non Accipit res, non Grues, non Delphinos deniqve hìc ſiſtam! Qvantò magis homo, qvi Dei ipſius eſt imago & Magnum naturæ Miraculum Herosq; naturæ & mundi Dominus,

minus,

minus,hanc ad Virtutem omne ſtudium omnemq; operam conferre debet. Omnem ſuam vitæ induſtriam in illa expresſiſſe videtur ob caſtitatem non ipſi tantùm Deo, ſed hominibus qvoq; commendatisſimus adoleſcens, Joſephus, qvi Hero ſuo acceptis pro beneficiis hanc inferre ignominiam omninò recuſabat, ut adulterium cum conjuge ipſius committeret, allectus. Laudi qvoqve Lucio Syllæ beneficiorum memoria vertitur, qvod, ipſe Dictator, Pompejo, etiam privato, adaperuerit caput, & ſellâ ſurrexerit, & eqvo deſcenderit: qvæ qvidem libenter ſe facere, in concione prædicavit, memor, ab eo, duo de viginti annos nato, ſuas in exercitu Paterno partes fideliter fuiſſe adjutas. Qvanta qvæſo hæc erat gratia, qvam Serenisſima Reſpublica Venetorum decreverat Franciſco Dandalo; poſtqvam enim ille ad publicam Patriæ ignominiam deprecandam Legati apud Clementem, Papam, functus eſſet officio atqve ſub ipſa Pontificis menſa Reipubl. nomine humiliter proſtratus jaciuſſet, ex iſta legatione reducem magno omnium Ordinum conſenſu Principem Amplisſimæ creabant Civitatis, utpote qvi nuper in ſqvalore & ſordibus pro Patria fuiſſet conſpectus, ſublimi jam conſpiceretur loco, auro pariter atq; purpurâ conſpicuus. Qvantâ in Patronum, ut gratum ſe exhiberet eidem, inflammatus cupiditate fuerit Publ. Catenus Philotimus, â qvo ex aſſe hæres erat conſtitutus, flammæ teſtantur eædem, defuncti qvæ conſumebant funus, in qvos ipſe ſeſe, ex obitu iſto enati impatiens doloris, conjiciebat. Officium deniq; gratiarum actionis qvantum attinet, neminem hoc clam fore, arbitror, eas demùm veras eſſe gratias, qvando ſtatim iſte, aliorum qvi ſe cumulatum beneficiis novit, de reddendis cógitet: qvid enim

 tam

tam laudabile, qvid tam in omnium receptum animis, qvàm referre pro benè meritis, qvamq; primùm modò fieri poteſt, gratiam: bis enim gratum, qvod opus eſt, ultrò ſi offeras, &

Si bene qvid facias, facias cito: nam citò factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Qvod ſi in eos, qvos ſperamus nobis profuturos, officia conferre non ceſſamus, qvales in iſtos, qvi jam profuerunt, eſſe debemus? Qvamvis qvandoq; non trepidandum adeò, qvàm citò reponamus, nec properandum intempeſtivè, qvia æqvè, qvi ad referendam gratiam properat tempore alieno, qvàm qvi oportuno ceſſat, delinqvit. Lucri deinde illicita cupiditas à gratias agente abſit qvàm longisſimè; hæc ſi adſit, gratiæ non ſunt gratiæ. Unde ſæpisſimè & qvi gratiam retulit, ingratus eſt; & qvi non retulit, gratus: nam ut omnium aliarum Virtutum, ita hujus ad animum tota redit æſtimatio. Et is, licet prolixisſimas recitet gratias, nihilominus habendus tamen omnium eſt ingratisſimus, in referenda gratiâ qvi data reſpicit, & qvi, cùm reddit, ſperat. Nemo proinde ſolidas ex malorum grege refundere poterit gratias, qvoniam nemo poteſt, qvod non habet, dare, qvia iſti benefaciendi carent voluntate, qvâ vel ſolâ gratus eſſe poteſt homo. Sed qvorſum abripior? Contraham incomptæ aliàs orationis meæ vela & ſaltem iſtud, qvod reliqvum adhuc videtur eſſe, brevisſimis, vel tribus ſaltem, qvod dicunt, verbis expediam. Gratias nempe & ego, & qvidem hic reddam publice tum Deo Trinuni, tum omnibus iſtis, qvorum vel ullo grata in me acceptaq; unqvam beneficia exſtiterunt nomine. Qvemadmodum verò Sapiens pariter

riter atq; Erudita Vetuſtas amabilem Gratiarum in ternario conſiſtere docuit numerum, qvarum unam beneficia elocantem: accipientem alteram: tertiamq; reddentem effinxit: qvibus qvoq; actibus totum gratiarum abſolvi negotium, ſignificavit. Addiderunt & hæc priſci Sapientes: pingendo Easdem conſertis inter ſeſe manibus, atq; ſic in circulum ſvavisſimo recurrentes nexu; ordinem beneficiorum ſtatuendum præ primis hunc eſſe, denotantes, ut iſta per manus qvaſi transeuntia, ad eum viciſſim, à qvo primitùs deſcenderint, deveniant. Ridentibus ſimiles pingebantur, qvòd hilari & danda vultu & accipienda ſint beneficia: Juvenilis ipſis attribuebatur ſpecies, qvòd beneficiorum haud unqvam obliterari debeat memoria. Virgines prædicabantur, qvod incorruptam & ab omni fuco longè alienisſimam ſanctisſimamq; eſſe oporteat munificentiam. Solutis præterea pellucidisq; ſiſtebantur tunicis, qvōd tum ipſa beneficia, tum pro iisdem numerata gratia publicâ longè conſpici gaudeant luce. Ita qvòq; tot ego tantisq;, in hunc usqve diem & divinis beneficiis, & Mecœnatum meritis qvaſi obſtrictus, meo etiam confirmare cogor exemplo, Charitum ſvaviſſimarum ſatis me, abundeq; perſeuſiſſe munia: Dantes mihi ſe & benevolentiam promptisſimam, & humanitatis officia ſvavisſima, & liberalitatem largisſimam exhibuerunt: accipiens ipſe fui: ipſe qvoqve ero, tertiæ qvi Gratiarum, non qvidem ex aſſe, ex animo tamen ab omni aſtu adeò remoto, ut qvi longisſime, munere fungar. Humilimas igitur pro tot tantisq; muneribus refero gratias, nec hujùs meæ voluntatis alium, præter Te, *καρδιογνώστην* Altisſimum, & me ipſum teſtem huc produco & licet, qvantum debeam ad referendam dicere gratiam,

haud valeam, dicam tamen, qvantum poſſum; reliqva ſi non commodior intervenerit occaſio, ſemper debebo & cum magnâ eadem voluptate apud me depoſita, ceu chariſſima faventisſimorum erga me animorum pignora, intuebor, cùm non minoris ſit animi, beneficium debere, qvàm ſolvere poſſe. Et ut me aliqvo, tantoperè obæratum, expediam modo, faciam ſanè, qvod boni ſolent, & reddam beneficia: reddam autem ſic, ut plura adhuc debeam atq; libenter debeam: libenter enim debita, ſicuti Gravisſimus Seneca cenſet, reddita exiſtimant Boni. Atq; hoc præſtabo maximè, tantorum ut ſempiterna mihi memoria hæreat meritorum, qvam refricabo qvoqve ſubinde: qvippe referre nemo, niſi qvi meminit, gratiam poteſt, & qvi meminit, eo ipſo, qvod meminit, refert. Et Satius eqvidem cum Eumene, ſi ita tulerit fortuna, perire pro bene meritis, referre gratiam, qvàm ingratus vivere ducam. Cape ergo, ô Summe Deus; Capite qvoq; Patroni Maximi: Capite & Vos, optimi Concives, haſce ab eo gratias, qvem totum Veſtra ſibi devinxit beneficentia; Et ingenium ſaltem referentis ac voluntatem nunc admittite, præſertim cùm & affectûs magnitudine, & tantâ beneficiorum mole ulterior verborum fluxus in ipſis mihi faucibus obſtruatur.

DIXI.

Deſun-

DEfunctis pariter vivis qvoq; grata rependit
Munera poſt DOMINUM *ſua VVarnikenius: inde,*
Ut majora DEus bona conferat Ipſe Boniq;
Huic, precor! hic grates cunctis retuliſſe ſtudebit.

Johannes Meiſnerus D.,
Acad. Rector.

GRatè dum dicis, benefactis qvalis habenda
Gratia, qvod gratus ſis ſimul ipſe, probas.
Hæc jam dicta novum pariat tibi gratia amorem,
Atq; Deo gratus ſis hominiq;, precor!

Dresdæ ſcrib.

Martinus Gejer D.

HActenus hîc Dresdæ nobis tua dona probâſti,
Nunc alios alibi complaciture petis.
I bone, qvò tua Te ratio vocat, i pede fauſto,
Ipſe DEus ſanctam proſperet, opto, viam!

Chriſtophorus Bulæus, D.
Superint. Dresdæ.

Rarior

RAriorin terris eſt gratia; rarius iſthinc,
Qvod facis, eſt nobis jam pietatis opus.

Gratulat. ergò

Abraham Calovius, D.

Ad

Præſtantiſſimum Philoſophiæ Candidatum,

MELCHIOREM VVARNIKENIUM, publicè perorantem.

INdolis ingenuæ eſt, benefacta reponere lætâ
Et gratâ meritis reddere mente vicem.
Hoc, VVARNIKENI, dum diſſeris ore diſerto,
Qvô ſis ingenio præditus, ipſe doces.

Otho Prætorius, Sereniſſimi
Elector. Saxon. Hiſtoriograph.
Prof. Publ. & Facult. Philoſoph.
Decanus.

GRatia pro meritis ſi conſtet WARNICE; Cur non
Gratia mox laurum pro pietate ferat?
Accipe pergratos, Phœbus qvos donat, honores:
Non deêrunt gratò præmia digna Viro.

ſcrib. gratulab.

Georg. Caſpar Kirchmaier,
Eloqv. P. P.

Sum

SUmma caputq́; bonæ mentis jure illa vocatur,
Qvam docto celebras ore manuq́; ſimul.
Virtus, qvæ meritas poſcit depromere grates,
Unde ſuum *Charites* nomen & omen habent.
Virtutes hæc una ferè complectitur omnes.
Non eſt exhibitis mens mala digna bonis.
Si gratus vis eſſe DEO, revereris eundem.
Nam tibi qvicqvid habes, contulit omne DEUS.
At puro qvi corde DEUM reveretur, amico,
Qvàm potis eſt, animo cælica juſſa facit.
Ingratæ mentis vitium vitia omnia ſecum
Affert, atq; hominem non ſinit eſſe probum.
Ingrati à laribus qvòd ſi mala nulla recedent,
Ad grati accedent proſpera qvæq; domum.
Hæc *VVarnikeni*, tua ſunt: nam qvæ, bone, prompto
Ore doces, facis, & qvæ facis ipſe, doces.
Si te præſtiteris gratum Dominoq; Boniſq;,
Gratus eris Domino, gratus eriſq́; bonis:
Hæc bona te ſemper maneant, ubicunq; manebis;
Sunt etenim omnigeni ſumma caputq́; boni.

*Iſtis Doctiſſimum DN. WARNIKENIUM,
Dresdâ biturientem proſeqvitur, & Bonis omnibus Bonum ipſum diligenter
commendat*

M. Joh. Andreas Lucius,
Sereniſſ. Saxon. Electoris
Conc. Aulicus.

Ut

UT TIBI conciliet multorum pectora grata
Hic præſens ſermo, comprecor ex animo!

Hæc paucula
in
honorem

Præſtantiſsimi DN. WARNIKENII, SS. Theol. Cultoris ſolertiſsimi moxq; Laureâ Magiſtrali ex merito condecorandi cum apprecatione feliciſsimi itineris & ſtudiorum ſucceſsûs conſignabat Witteberga

M. Paulus Müllerus, Hamb.
SS. Theol. addictus.

Sonnet.

JN dieſer Hefen-Welt / da lauter Laſter blühen /
Entnimt Herr Warnick ſich der ſchnöden Eitelkeit /
Er rühmt die Danckbarkeit / und tadelt was der Neid
Durch ſeinen Undanck denckt / der Tugend zuentziehen.
So recht / ſo pfleget man / hoch Wolcken an zuſtichen:
Wer irdiſch iſt geſinnt / liebt nichts als Nichtigkeit /
Ein Geiſter voller Sinn zeigt ſeine Danckbarkeit
Und ſuchet / wie Sie könn / in ſeinem Hertzen glühen.
Hier iſt es ſo gethan: GOtt / Eltern / und die Gunſt /
Die Jhm ein Fremder gönnt / weiß Er durch ſeine Kunſt
Und fromme Danckbarkeit / nach Würden aufzuführen:
Wer wolte nicht wie Er / in unverrückter Brunſt
Nach dieſer Tugend ſtehn? Wenn andern ihre Dunſt
Zu eiteln Spotte wird / ſoll Jhn der Himmel zieren.

Zum immerwerendem Andencken der in ... gepflogenen trewen Freundſchaft / ſetzte ſolc. dem Herrn Bruder eiligt

M. Philipp Richter /
der H. Schrift befliſſener.